

IV. MAXILLARIA HETEROCLITA. Tab. LXIII.

M. bulbo ovato, anguloso; foliis oblongo lanceolatis, planis, scapo uni vel bifloro longioribus; labelli oblongo lanceolati, trilobi lobis lateralibus cristato pinnatifidis; columna medio late alata, apice demum increscente.

37

DESCRIPTIO. Bulbi ovales, subangulosi, radicibus subfasciculatis, leviter tomentosis suffulti, magni, extus cinereo virides. Folia vaginantia. Scapi uni vel biflori, ex ima bulbi basi, subradicales, articulati, iisdem, ac bulbi basis squamis inclusi. Perianthii foliola aequalia, lanceolata, superiora tria erecta, inferiora patula, omnia flavo et purpureo alterne striata. Labellum ungue brevi cum styli basi elastice articulatum, lamina ascendentem, triloba: lobis lateralibus erectis, columnae adpressis, margine pinnatifido dentatis, niveis: lobo terminali integerrimo, coeruleo. Columna intus valde pubescens, medio utrinque marginis membranacei processu incrassato, triangulari aucta; margine foveae terminalis, antherae recipiendae aptae undulato, post antherae delapsum incrassato, supra stigma convoluto, in lobos duos triangulares, carnosos et adpressos tunc excrescente. Pollinis massae quatuor cereaceae, candidulae communi, deltoideae insidentes.

OBSERVATIO. Descriptioni huic satis imperfectae et ex schedis itineris desumptae speciei admodum insignis et elegantissimae nos ulteriora adjicere hand posse vehementer dolemus. Specimina enim inter paucissima herbarii nostri fuere, quae ab insectis peitus corrosa reperimus. Icon ad plantam vivam in loco natali confecta.

Explicatio tabulae LXIII. MAXILLARIA HETEROCLITA. — 1) Columna cum labello in situ a latere visa. 2) Eadem a facie conspecta labello vi reflexo.